

sed femina esset potius nuncupandus. » Verba sunt Baronii, *ad an.* 879, n. 5 (174).

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt papæ dignitatem, auctoritatem, seu potestatem, et infallibilitatem.

SUMMARIUM.

1. Papa tantæ est dignitatis et celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus, et Dei vicarius. — 2. Papa adeo summæ et supremæ dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine dignitatum positus. — 3. Papa idem est ac Pater patrum. — 4. Et hoc nomine uti potest solus Summus Pontifex. — 5. Papa appellatur Sanctissimus, et quare? — 6. Neque sanctissimi appellari possunt imperatores et reges? — 7. Merito solus Papa appellatur nomine Sanctissimi, et quare? — 8. Papa præ excellentia suæ supremæ dignitatis vocatur episcopus episcoporum. — 9. Item appellatur Ordinarius ordinariorum. — 10. Item episcopus universalis Ecclesie. — 11. Item episcopus seu diocesanus totius orbis. — 12. Item divinus monarcha, ac imperator supremus et rex regum. — 13. Hinc Papa triplici corona coronatur tanquam rex cæli, terre et inferorum. — 14. Imo Romani Pontificis excellentia, et potestas, nedum est circa cælestia, terrestria et inferna, sed etiam super angelos, quorum ipse major est. — 15. Ita ut si foret possibile, quod angeli errarent in fide, vel contra fidem sentirent, per Papam iudicari et excommunicari possent. — 16. Papa tantæ est dignitatis et potestatis, ut faciat unum, et idem tribunal cum Christo. — 17. Adeo ut quidquid facit Papa, ab ore Dei videatur procedere. — 18. Deveniendi ad Papæ auctoritatem, Papa est quasi Deus in terra unicus Christifidelium princeps, regum omnium rex maximus, plenitudinem potestatis continens, cui terreni simul, ac cælestis imperii gubernacula ab omnipotenti Deo credita sunt. — 19. Congruunt ulterius quoad Papæ summam auctoritatem et potestatem textus juris Cæsarei. — 20. Non minus summam Papæ auctoritatem, et potestatem extollunt rescripta et dogmata virorum aliorum Imperatorum. — 21. Magis magisque supremam Papæ auctoritatem, potestatemque extollunt plurimi sacri canones et ibi canonistæ communiter. — 22. Egregium dictum S. Cyrilli Alexandrini de admirabili auctoritate, seu potestate Summi Pontificis. — 23. Hinc jam communis opinio docet, quod Papa utriusque gladii habeat potestatem, spiritualem, scilicet, et temporalem. — 24. Quæ opinio auctoritate sanctorum Patrum, juris canonici et civilis dispositione, et Apostolicis constitutionibus latissime confirmatur. — 25. Adeo ut contrarium affirmantes videantur adhærere fere illi opinioni hæreticorum reprobata per Bonifacium VIII in extravaganti. *Unam Sanctam* 4, De obedient. — 26. Unde principes et reges, infideles possunt per sententiam Papæ privari in certis casibus Dominio, quod habent super fideles. — 27. Et inde Papa provincias, quæ olim Christianorum erant, ab infidelibus occupatas, alicui ex principibus Christianis regendas concedit. — 28. Imo Papa in casibus, quibus propter hæresim regis, videat periclitari religionem illius regni, fidemque aliorum, nec aliter tanto damno succurri possit, tunc potest non solum a rege regnum, sed etiam ab ejus successoribus, si illud debellaverit, concedere. — 29. Afferuntur ad id varia exempla. — 30. Papa tantæ est auctoritatis et potestatis, ut possit quoque leges divinas modificare, declarare, vel interpretari, ad num. 31. — 32. Papa id potest de se solo etiam sine generali concilio. Est enim Papa supra concilium

(174) Non desunt tamen, qui Joann. Papam a culpa liberandum esse censent, ex eo quod restitutio Photii ex necessitate exorta, et imperatoris,

generale, et non e contra. — 33. Quanto vero Papa major, et excellentior est omnibus, tanto humilior se reputat, et nominat, ac se vocat Servum servorum Dei. — 34. Papa quare se vocet Servum servorum Dei? — 35. Quis fuerit primus Pontifex qui se Servus servorum Dei nominavit? — 36. Papa potest cedere et renuntiare Papatui. — 37. Talis renuntiatio fieri debet apud Collegium cardinalium. — 38. Quantum ad Papæ infallibilitatem, potest Papa considerari dupliciter: primo, quo ad se, ut persona privata, privatusque doctor; secundo, quo ad alios, ut persona publica, et magister universalis Ecclesie, eam ex cathedra docens, proponendo quid credendum, quidve agendum sit. — 39. Loqui ex cathedra quid sit? — 40. Loqui ex cathedra non aretatur præcise ad ea, quæ Papa proponit ut a Deo revelata, et a nobis credenda fide theologica, sed insuper extenditur ad cætera quæ proponit seia tenenda, seu servanda. — 41. Decreta, quæ edita Papa ex cathedra circa doctrinam fidei et morum, sunt infallibilia. — 42. Afferuntur probatio primæ partis conclusionis, scilicet, quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam fidei. — 43. Adducitur et solvitur instantia. — 44. Adducitur et solvitur alia instantia, ad num. 45. — 46. Afferuntur probatio secundæ partis conclusionis, scilicet quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam morum. — 47. Adducitur objectio contra conclusionem. — 48. Adducitur responsio et solutio dictæ objectionis. — 49. Papa errare non potest in canonizatione sanctorum. — 50. Afferuntur probatio, quod id sit de fide. — 51. Adducitur et solvitur objectio. — 52. Adducitur et solvitur alia objectio. — 53. Papa secundum multos licet errare non possit, et infallibilis sit in beatificatione beatorum infallibilitate morali, et infra fidem, non tamen infallibilitate fidei. — 54. Afferuntur ratio hujus sententiæ. — 55. Papa secundum multos alios est absolute infallibilis infallibilitate fidei, non solum in canoniz. sed etiam in beatificatione. — 56. Afferuntur ratio istius sententiæ. — 57. Adducitur responsio ad rationes prioris sententiæ. — 58. Pontifex errare non potest in approbatione religionum. — 59. Afferuntur ratio. — 60. Adducitur et solvitur objectio. — 61. Adducitur et solvitur instantia. — 62. Papa probabilis etiam ut persona privata non potest in hæresim incidere et in fide deficere. — 63. Afferuntur ratio. — 64. Ex Romanis Pontificibus nemo unquam reprobatus fuit qui in hæresim vel apostasiam fuerit prolapsus. — 65. Adducitur et solvitur objectio. — 66. Adducitur et solvitur alia objectio. — 67. De fide est Benedictum XIV v. g. legitime electum, et talem ab Ecclesia acceptatum, esse verum Papam. — 68. Afferuntur probatio ex concilio Constantiensi sub Martino V et ex constitutione Leonis X damnantis hæresim Lutheri. — 69. Afferuntur probatio ex ratione. — 70. Adducitur et solvitur objectio. — 71. Adducitur et solvitur alia objectio. — 72. Primatus Ecclesie universalis, seu Papatui est annexus Romano episcopatu de jure divino. — 73. Afferuntur probatio ex sacris canonibus et conciliis. — 74. Adducitur et solvitur objectio ad num. 75. — 76. Adducitur et solvitur instantia. — 77. Adducitur et solvitur alia instantia concludendo, quod primatus Ecclesie nequeat a Romano episcopatu ulla humana potestate separari, ad num. 78. — 79. Quamvis aliqui Pontifices Avenione manserint, semper tamen episcopatum Romanum tenuerunt, et Romani Pontifices fuerunt appellati. — 80. Ubi Papa ibi Roma. — 81. Papa etiam si salutem excommunicat, aut ipsi scienter participet quovis modo, non ideo censetur eum absolvere, nisi expresse se declaret id velle. — 82. Alia ad rem ad num. 88.

omniumque patriarcharum Orientis consensu probata fuit. Ita cum de Marca sentit P. Phil. Angelicus Becchetti in sua *Hist. eccl.*, tom. VI, lib. LVIII, § 99.

(1. Papa tantæ est dignitatis et celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus et vicarius Dei; c. *Ita Dominus* 7, dist. 19, ibi: « Hunc enim in consortium individue unitatis assumptum, id, quod ipse erat Dominus, voluit nominari, dicendo, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* » et ibi explicat *Glossa*: « Id, quod ipse erat, scilicet petra, voluit eum vocari Petrum; » et concordat textus in cap. *In novo* 2, dist. 21, et c. *Fundamenta ejus* 17, De election., in 6, annotat. 1, ad decis. 2, n. 2, par. III *Rot. recent.* (2. Unde Papa adeo summæ et supremæ dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine dignitatum positus, ut observat card. Zabarell. in Clement. 1, in 5, notabil. *De renuntiat.*, et cit. annotat. 2 ad decis. 2, n. 2, part. III *Rot. recentior.*

(3. Hinc Papa idem est ac Pater patrum, ut notat *Gloss.* communiter recepta in *Proæmio Clement.*, verb. *Papa*. (4. Et hoc nomine (175) uti potest solus summus Pontifex, ut maxima ratione, teste card. Petra, tom. I *Comment. ad constit. 1 divi Leonis*, n. 8, fuit statutum a Gregorio VII anno 1063, VII Kalend. Maii in *Synodo Romana*, quia vere solus ipse dici potest Pater Patrum, cum contineat primatum omnium, omnibusque sit vere major, omniumque maximus; cap. *Solitæ* 6, De majorit. et obedient., ibi: « Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli; luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est universalis Ecclesie, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas et regalis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur (176). » (5. Papa Sanctissimus appellatur, quia talis vere præsumitur; cap. *Non nos* 2, dist. 40, ibi: « Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo, si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci prædecessore præstantur; aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat. » (6. Neque sanctissimi appellari possunt imperatores et reges, quamvis enim in legibus civilibus vi-

(175) De Papæ nomine, ejusque origine atque etymo confer doctissimum P. Sollerium in *Patriarcharum Alexandrinorum historia chronologica*, a n. 156, in *Actis sanctorum Bollandianis*.

(176) Commune tamen id nomen olim episcopis fuit, ut ex pluribus exemplis, quæ congessere Sava- ro ad Sidonii lib. VI, ep. 1; Joannes Georgius Walchius, *De episcopo patre spirituali*, § 7, et cl. Mamachi, *Orig.*, etc., *antiquit. Christian.* t. IV, p. 297 seq. Ennodius tamen, ut magnus Sirmundus notavit ad ejusdem Sidonii epistolam primam lib. IV, Papæ nomen uni Romano Pontifici, tanquam proprium, et peculiare primus, ut videtur, asseruit. Nam cum episcopos omnes Papas cæteri fere, qui

deatur aliquando usurpatum ab imperatoribus nomen sacratissimi, ut observat card. Petra, tom. I *Commentar. ad const. 1 divi Leonis Magni*, n. 9, (7. Et merito solus Papa appellatur nomine Sanctissimi, quia solus ipse est vicarius Christi, qui est fons et origo, atque plenitudo omnis sanctitatis, cap. *Inter corporalia* 2, cap. *Quanto* 3, cap. *Licet* 4, de translatione episcopi, cum similibus.

(8. Papa præ excellentia suæ supremæ dignitatis vocatur Episcopus episcoporum, cap. *Novatianus* 6, caus. 7, qu. 1, cap. *Loquitur* 18, caus. 24, q. 1. (9. Item appellatur Ordinarius ordinariorum, c. *Cuncta per mundum* 17, c. *Per principalem* 21, caus. 9, q. 3. (10. Item Episcopus universalis Ecclesie, prout definit Pelagius II, constituit. incip. *manifesto*. Item Episcopus seu Diocesanus totius orbis, c. *Ad honorem* 4, De auctoritate et usu pallii, *Glossa*, verb. *Privata*, in c. *Felicis*, § final. *De panis*, in 6.

(12. Item divinus monarcha ac imperator supremus, et rex regum; adnotat secundæ partis ad decis. 2 *Rotæ recentior.*, n. 7.

(13. Hinc Papa triplici corona coronatur, tanquam Rex cæli et terræ et inferorum; adnotat. 1 ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 45, num. 61

NOTA ROMANI THEOLOGI.

De triplici Papæ corona Nicolaus Ale- mannus de Lateranensibus parietinis cap. 13, p. 48, tom. VIII, part. VI *Thesauri antiquit. et historiarum Italiae*, ita scribit. « Tiaræ triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit ante annos non amplius ducentos quinquaginta Urbanus V duplicis vero Bonifacius VIII. Nam superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus ac monumentis unius coronamenti, et Romæ cernimus, et Sugerius describit: Capiti ejus (Innocentii VI) phrygium ornamentum imperiale instar galæ circulo aureo cinnamatum imponunt. » Circa ea quæ de triplici Papæ regno, deque potestate in sanctos angelos, quorum ipse sit major, auctor recenset, consulendi sunt theologi. Quæ enim ex jurisconsultis ipse refert, eruditus theologis suspecta, et quandoque etiam ridicula habentur. Capiti enim, ac visibili Ecclesie principi, non alii sane quam visibiles subditi, fideles scilicet homines designari videntur, atque in hoc tantum solvendi, ligandique potestatem exercent, eos scilicet regendo, absolvendo vel per

ejus ævo proximi fuerunt, appellare soleant, ut Sidonius, Faustus, Runcius, ipse perpetuo discrimine antistites reliquarum Ecclesiarum episcopos vocat, Papam solum Romanæ Sedis Pontificem, sive cum illi scribit, ut Symmacho Papæ, et domno Papæ, sive cum de illo apud alios agit, ut lib. III, ep. 10, lib. VI, ep. 55, et passim. Pari post Ennodium discrimine ejus vocis usurpatione usus est Cassiodorus, qui cum Bonifacium, Agapetum, et Joannem Romanæ Sedis episcopos Papas nominat, Eustorgium, et Datium Mediolanenses, et alios aliarum civitatum præsules, non aliter quam episcopos nominat. Confer etiam Zachariam in *Historia literaria Italiae*, t. VI, p. 505.

censuras ligando dum vivunt, et per Indulgentias juvando vita fuctos.

RESPONSIO AUCTORIS.

Mirandum, quod theologus noster sic parvipendat jurisconsultos; ut quæ ipsi tradiderint, eruditus theologus suspecta, et quandoque etiam ridicula haberi pronuntiet! Nonne classici jurisconsulti sunt etiam sæpe eruditi theologo? Talis certe fuit celeberrimus Paulus Rubeus, qui in cit. adnotat. ad decis. 2, part. III *Recentior. Sac. R. Rotæ* innumeros allegat pro suis conclusionibus theologos, ac in multis etiam SS. Patres. Et si talis non fuisset, sacrum illud supremum tribunal nequaquam permisisset quod suis decisionibus adnecterent Rubi eruditissimæ adnotationes. Legant itaque eruditi omnes dictas sapientissimi jurisconsulti adnotationes ad decis. 2, part. III *Sac. Rom. Rotæ recentior.*, et iudicium ferant.

(14. Imo Romani Pontificis excellentia et potestas, nedum est circa cælestia, terrestria, et inferalia, sed etiam super angelos, quorum ipse major est. cit. adnotat. 1, ad decis. 2, part. III *Rotæ Romanæ recentior.* § 5, n. 24. (15. Ita ut, si foret possibile, quod angeli errarent in fide, vel contra fidem sentirent, per Papam iudicari, et excommunicari possent. cit. adnotat. 1 ad decis. 2 *Rotæ Romanæ recentior.*, § 5, num. 24. Hinc in materiis fidei ad eum, tanquam ad solem intendere debemus. Ita in cit. *S. Rot. Rom. in Compend. redact.*, § 3, in secund. adnot. ad decis. 2, § 5, num. 32.

(16. Tantæ enim est dignitatis et potestatis, ut facial unum, et idem tribunal cum Christo, ut per textum in c. *Quanto* 3, De translatione episcopi, tenent passim doctores adducti in cit. adnot. 1, n. 68, ad decis. 2, p. III *Rotæ recentior.* (17. Adeo ut quidquid facit Papa, ab ore Dei videatur procedere, ut post plurimos doctores, ratiocinatur Rota in *Foro Sempronien. et Eugubina, seu Nullius, Emphyteusis* 16 Junii 1636, coram Coccino, § *Hinc inferendo*, vers. *Ita ut, quod fit a Papa, ab ore Dei videatur procedere*; cit. adnotat. 1 ad decis. 2, § 5, n. 31, part. III *Rotæ recentior.*

(18. Deveniendū igitur ad Papæ auctoritatem; Papa est quasi Deus in terra, unicus Christifidelium princeps, regum omnium rex maximus, plenitudinem potestatis continens, cui terreni simul ac cælestis imperii gubernacula ab omnipotenti Deo credita sunt, prout clare habetur in cap. *Omnes* 1, dist. 22, ibi: « Qui (scilicet Christus) æternæ vitæ clavigero terreni simul, et cælestis imperii jura commisit; et in extravagat. Joannis XXII, cap. *Si fratrum unic.* Ne sede vacante, aliquid innovetur, et in alia celebri extravagat. Bonifacii VIII, cap. *Unam sanctam catholicam*, De majorit. et obed., inter communes.

(19. Congruunt ulterius quo ad Papæ summam auctoritatem, et potestatem textus Juris Cæsarei, nempe in l. *Reddentes honorem*, cod. *De summa Trinitate et fide catholica*; l. *Bene a Zenone*, cod. *De quadrienni præscriptione*; l.

Omnes dies, cod. *De feriis*, et *authent. Demonachis*, § *Si vero relinquens*; *authent. De ecclesiast. titul.*, § 1, collat. 9, cum similibus.

(20. Non minus summam Papæ auctoritatem et potestatem extollunt rescripta, et dogmata variorum aliorum imperatorum, nempe Valentiniani, Othonis, Caroli Magni, Constantini etc., quæ ex eorum constitutionibus refert Gratianus in c. *In memoriam* 3, dist. 19, ibi: « Per legatos Apostolicam interpellat sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere. etc. » et in summario expresse dicitur: « Tolerandum est jugum, quod a sancta sede imponitur, licet intolerabile videatur, c. *Valentinianus* 3, dist. 36, ibi: « Nos, qui gubernamus imperium, Pontificibus sincere capita nostra submittimus; cap. *Tibi domino Joanni Papæ* 33, eod. dist. 63, ibi: « Sanctam Romanam Ecclesiam, et te rectorem ipsius exaltabo; cap. *Constantinus* 14, dist. 96, ibi. Ut sicut Beatus Petrus in terris vicarius Filii Dei fuit constitutus, ita et Pontifices ejus successores in terris principatus potestatem amplius, quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur. »

(21. Magis, magisque supremam Papæ auctoritatem potestatemque extollunt plurimi sacri canones, et ibi canonistæ communiter et signanter in c. *Cleros* 1, cap. *In novo* 2, et c. *Quamvis universæ* 3, dist. 21, cap. *Non nos* 1, et cap. *Si papa* 6, dist. 40, c. *Si inimicus* 1, dist. 94, cap. *In scripturis* 8, cap. *Qui dubitet* 9; cap. *Duo sunt* 10, et cap. *Si Imperator* 11, dist. 96; cap. *Auctoritatem* 2; cap. *Alius* 3; cap. *Nos sanctorum* 4; cap. *Juratos* 5, caus. 15, q. 6; cap. *Si quis suadente* 29, caus. 17, q. 4; cap. *Venerabilem* 34, De election., cap. *Solita* 6, De majorit. et obed., cap. *Quanto* 3, et cap. *Licet in tantum* 4, De translation. episc., cap. *Cum ex eo* 14, De pœnit. et remission., cap. *Novit* 13, De judiciis; cap. *Per venerabilem* 13, *Qui filii sint legitimi*, cap. *Significasti* 4, et cap. *Licet* 6, De electione; c. *Licet* 20, De foro competent.; cap. *Fundamenta* 17, De election., in 6; cap. *Ad Apostolicæ dignitatis* 1, De sentent. et re iudicata, in 6; cap. *Periculoso*, unic., De statu regul., in 6; Clementin. *Dudum* 1, De judiciis; Clementin. *Romani Principes* unic., De jurejurando, cum aliis infinitis similibus.

(22. Unde ad hanc mirabilem auctoritatem, seu potestatem Summi Pontificis reflectendo S. Cyrillus Alexandrinus in *Libro thesaurorum* admirabilundus sic altissime de eo loquitur: « Filius Dei, quem admodum ipse a Patre accepit Ecclesiæ, et gentium sceptrum et potestatem super omnem principatum, et super omne quodcumque est, ut ei genua cuncta curventur, ita eandem amplissimam potestatem Petro et ejus successoribus plenissime commisit. »

(23. Hinc jam communis docet opinio, quod Papa utriusque gladii habeat potestatem, spirituales scilicet et temporalem, quam jurisdictionem, et potestatem Christus ipse commisit Petro, et ejus successo-

ribus, Matth. xvi, 19. dicens: *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Ubi notant doctores quod non dixit *claves*, sed *per hoc comprehendens temporalem ac spiritualem potestatem.* Annotat. ad decis. 2 partis tertiæ *Rotæ recentior.*, § 2, numer. 6. (24. Quæ opinio auctoritate sanctorum Patrum, juris canonici et civilis dispositione, ac apostolicis constitutionibus latissime confirmatur, c. adnotat. et § 2, n. 1 et seq. (25. Adeo ut contrarium affirmantes videantur adhærere fere illi opinioni hæreticorum reprobatae per Bonifacium VIII in extravagat. *Unam sanctam* 1, De majorit. et obedien., cit. adnotat., § 4, num. 9. et seq. Et concordant Extravagat. Joannis XXII, cap. *Si Fratrum unic.*, Ne Sede vacante aliquid innovetur, et constitut. Gregorii IX incip. *Cum juxta testimonium veritatis*; cum aliis similibus.

(26. Unde principes et reges infideles possunt per sententiam Papæ privari in certis casibus dominio quod habent super fideles, ut si terras Christianorum vi occupaverint, vel subditos fideles a fide avertere satagent, et hujusmodi, ut satis aperte demonstrant card. Bellarm. in *Apolog. contra regem Angliæ c. 4*; Suarez, in *Defensione fidei catholice contra eundem regem Angliæ* lib. III cap. 23, Barbosa, in cap. *Si Papa*, 6, dist. 40, et in cap. *Venerabilem*, De elect. et electi potestate, et in Clement. unic. *De jurejurando*; Gonzalez; in cap. *Venerabilem*, De election.; card. Petra, t. I *Commentar. ad constitut. unic. Gregorii VII*, a num. 33 et seq. et alii passim. Cum primis vero inter recentiores theologos viri clarissimi P. Bianchi *Della potestà e della polizia della chiesa*, t. I, lib. 1, et P. Mamachi, *Origin. et antiquit. Christianar.*, pag. 181 seqq.

(27. Et inde Papa provincias, quæ olim Christianorum erant, ab infidelibus occupatas alicui ex principibus Christianis emendas concedit, ut inquit Bartolus, in l. *Liber homo*, ff. *De verbor. obligat.*, et in l. final., ff. *De actionib. empti*, et in l. *Is qui apud hostes*, ubi Jason ff. *De legatis* 1; Bald., in l. 1, cod. *De emanc. filior.*, et in l. 1, cod. *De paganis*; Barbosa, in *Collectan. juris canon.*, in c. *Vergentis*, De hæreticis, et plurimi alii dicentes, regem effectum hæreticum posse per Papam amoveri a regno, et ad eum spectare jus eligendi, si ejus filii, et propinquiore sint quoque hæretici. Adnotat. ad decis. 2, p. III *Rotæ recentior.*, § 30, n. 5.

(28. Imo Papa in casibus, quibus propter hæresim regis videat periclitari religionem illius regni fidemque aliorum, nec aliter tanto damno succurri possit, tunc potest non solum a rege regnum, sed etiam ab ejus successoribus in totum auferre, et principi Christiano, suisque successoribus, si illud rebellaverit, concedere. Molina in tract. *De primogenit. Hispaniar.*, lib. IV, tit. 11, n. 37, vers. *Ex qua causa potest regnum Romanus Pontifex regi hæretico et ejus*

successoribus auferre; Jacob. Menoch., in concil. 808 n. 65, vers. *Jure potest Summus Pontifex privare regno non solum regem*, etc., lib. IX, cit. adnotat. ad decis. 2, p. III *Rotæ recentior.*, § 30, num. 5. Et de hoc exemplum habetur in Joanne rege Navarræ, qui a Julio II Pontifice damnatus fuit ob crimen schismatis; unde eum, ac successores regno privavit, omniaque ejus bona publicavit, et primo occupantibus ample concessit; donavitque in persona regum Hispaniarum catholicorum tunc viventium, eorumque successorum. Alvarez, in *Specul. Roman. Pontif.* c. 16; Ferdinand. Vasquez, *De successione*, part. II, lib. 1, n. 155, adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 45, n. 56.

(29. Unde nil mirum, si Romano Pontifici, tanquam vicario ejus, cujus est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eoete., non solum spirituali, sed etiam gladio materiali evaginato, attributa sit, justa suadente causa, plenissima auctoritas, atque potestas transferendi imperia, sceptrum frangendi, coronas auferendi. Quia plenitudinis potestate, non semel, sed sæpius Romani Pontifices usi sunt toties, quoties opus fuit, accingendo gladium suum super femur suum potentissime, ut satis superque palam est, atque de hoc amplissimum testimonium faciunt tam theologi, quam juris Pontificii ac Cæsarei professores, atque innumeri inculpatæ fidei historici, tam profani, quam sacri, tam Græci, quam Latini, ut videre est in adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 45, n. 53 et seq. et n. 37, ubi ad id referunt multa exempla, et signanter de Gregorio Papa II qui a celsitudine imperiali deposuit Leonem III Cæsarem; de Gregorio Papa VII qui deposuit Henricum IV imperatorem; de Alexandro Papa III qui deposuit Fredericum I imperatorem; de Innocentio Papa II qui deposuit Othonem Cæsarem; de Innocentio Papa IV qui deposuit Fredericum II imperatorem; de Clemente Papa VI qui deposuit Ludovicum Bavarum. Et insuper possunt adduci exempla diversorum regum aliorumque supremorum principum, quæ brevitatis gratia omittuntur; cum sint nota, et videri possint in cæterva doctorum adducta in cit. adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 45, n. 53. Vide ad id jura supra adducta n. 21; card. Bellarm. t. I *Controv. de translation. imperii Romani* per tot., et *Depotest. Summi Pontificis in temporalibus* per tot.; card. Petram, tom. I *Commentar. ad constit. unic. Gregorii VII*, et t. II *Commentar. ad constit. 4 et 6 Innocentii III*, et ad const. 1 *Honorii III*, sect. 2, et t. III *Comment. ad const. 7 Alexandri IV*.

(30. Papa tantæ est auctoritatis et potestatis, ut possit quoque leges divinas modificare, declarare, vel interpretari; adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 4, n. 24 et seqq., ubi plures adducuntur, refertque Surdus, decis. Mantuan. 30, num. 27, vers. *Hinc dicimus quod Papa potest contra legem divinam aliquando venire limitan-*

do, declarando, etc., et clarissime id assertit Petrus de Anchar. in consil. 373, n. 3, vers. *Papa jus divinum potest modificare, cum ejus potestas non sit ex homine, sed ex Deo, et in terris Dei vices fungitur cum amplissima potestate oves suas ligandi, et solvendi*; et sub n. 7, subjungit, « quod ipse Deus Dominus, et Redemptor dicitur facere, quod facit ejus vicarius; dummodo non faciat contra fidem. » Covarr., lib. 1 Variar. resol., cap. 17, n. 8, § *Henricus tandem*, vers. *Summi Præsulis dispensatione*, post Abbat. et Felinum hanc esse communem opinionem testatur Scacc., in tract. *De judiciis*, lib. II, c. 9, n. 382, vers. *Papa potest interpretari, et ex causa limitare jus divinum*, ut tradunt communiter omnes; cit. adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 4, n. 24. Et quoad hoc, vide etiam verb. DISPENSATIO, n. 20. (31. Et quod Papa ipse solus possit jus divinum declarare, et certitudinaliter interpretari, meminit Rota in *Gerunden.*, *Scribania* 21 Maii 1628, coram clar. mem. Merlino, § *Causa semper præsumitur in gestis*, vers. *Papa, quippe est supra omne jus positivum; imo declarat ex epicheia ipsum jus divinum*; cit. adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 4, n. 25. (32. Papa enim hoc potest etiam sine concilio generali; cum concilium generale non sit supra Papam, sed Papa sit supra generale concilium, ut abunde probatum est verb. CONCILIUM, art. 1, a n. 76. ad 86. Vide ibi.

(33. Quanto vero Papa major et excelsior est omnibus, tanto humiliorem se reputat et nominat ac se vocat Servum servorum Dei, ut patet in c. *Relatum* 37, in fine De sentent. excomm., et *Glossa* verb. *Servus*, in proem. sexti decret.; *Flamin.* Paris, *De resignat. benefice.*, lib. VIII, qu. 7, n. 101, ubi subdit, quod Papa de stylo ita se Servum servorum Dei appellat, ut si appareat bulla sine hujusmodi inscriptione, de falso sit suspecta tanquam contra stylum. (34. Ideo autem Papa se vocat Servum servorum Dei, ne ex tali, tantaque dignitate et auctoritate in superbiam incidat, præ oculis semper habendo illud salubre Dominicæ præceptum: *Qui major est vestrum, fiat sicuti minister*, *Matth.* XX; *Luc* XXII; *Marc.* X; cap. *Nullus primas* 7, caus. 9, qu. 3, vere sic imitans Jesum Christum qui non venit ministrari, sed ministrare, et cum esset cœqualis Patri omnipotenti, et omnia verbo, id est, per ipsum fecerit, *Joan.* I; nihilominus pro nostra omniumque redemptione formam servi accepit, ad *Philippens.* II; adnot. 2. ad decis. 2, p. III *Rotæ recentior.*, n. 10; *Barbosa*, lib. I *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 2, n. 29, et alii passim.

(35. Primum Pontificem, qui se Servum servorum Dei nominavit fuisse S. Gregorium Magnum referunt. *Additio ad Gloss.*, verb. *Servus*, in proem. sexti decret.; card. Petra, tom. II. *Comment. ad const. unic. Joan.* XV n. 3; *Alvar. Pelagius*, *De planctu*

(177) Vid. quæ hoc de titulo Servi servorum Dei commentatus est eruditissimus P. Raynaldus in *Onomast. Pont.*

Eccles., lib. II, cap. 13; vers. *Iste Gregorius*; *And. Goumar*, in *Extr. Julii II*, De simoniaca Papæ elect., in verb. *Julius*, n. 10; *Dionysius Paul*, *De vera quatuor patriarchal. Sedium erect.*, 17, n. 72. Ast vero prior omnium fuit S. Damasus Papa, ut constat ex epistola ejusdem ad Stephanum archiepiscopum, quæ invenitur inter opera S. Clementis Papæ, et egomet ipse pluries legi, et tom. I *Concil. in actis S. Damasi Papæ* fol. 229, cujus vestigia postmodum secutus fuit S. Gregorius Magnus in omnibus suis Epistolis, ut refert *Azorius*, *Instit. moral.*, par. II, lib. V, c. 3, vers. *Gregorius Magnus*; *Barbosa loc. cit.*, n. 30. Sanctus enim Damasus multo tempore præcessit. S. Gregorium Magnum, cum S. Damasus fuerit trigessimus nonus Pontifex Maximus a S. Petro, et fuerit ordinatus Papa die prima mensis Octobris anni trecent. sexag. sexti, et S. Gregorius Magnus fuerit sexagesimus sextus, et fuerit consecratus Pontifex maximus die tertia mensis Septembris anni quingentesimi nonagesimi, juxta *Tabulam chronologicam* eruditissimi Patris *Graveson*, tom. VIII, part. I, *Histor. ecclesiast.* (177).

(36. Papa potest cedere, et renuntiare Papatui, abdicando a se dictam supremam et omnium maximam potestatem jurisdictionis per modum voluntatis sufficienter expressum, textu expresso in c. *Quoniam* 1, De renuntiatione, in 6. (37. Et talis renuntiatione fieri debet apud Collegium cardinalium, cum ad ipsum duntaxat spectet Papæ successoris electio, ut fuit ostensum articulo præcedenti, n. 21. Et de facto S. Cœlestinus V apud dictum sacrum Collegium fecit sui Papatui renuntiationem, ut patet ex forma dictæ renuntiationis, quam tradit *Carillus*, in suis *Annal. Chron.*, lib. IV, an. 1294, fol. 373, et *Barbosa*, *loc. c.*, n. 213, his verbis: « Ego Cœlestinus Papa V motus ex legitimis causis, id est causa humilitatis, et melioris vitæ, et conscientiæ illæse, et debilitate corporis, defectu scientiæ, et malignitate populi, et infirmitate personæ, et ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte ac libere cedo Papatui et expresse renuntio loco et dignitati, oneri et honori, dans plenam et liberam facultatem ex nunc sacro cœtui cardinalium eligendi et providendi duntaxat canonicæ universali Ecclesiæ de pastore. »

(38. Quantum ad Papæ infallibilitatem advertendum est, quod Papa potest considerari dupliciter. Primo quoad se, et ut persona privatusque doctor. Secundo quoad alios, ut persona publica, et magister universalis Ecclesiæ, eam ex cathedra docens, proponendo quid credendum, quidve agendum sit. (39. Loqui autem Papam ex cathedra nihil aliud est, quam ipsum esse a Deo constitutum magistrum universalis Ecclesiæ, et hujus regulam visibilem, indeque auctoritate suprema sui Pontificatus judi-

care, et definire de dubiis fidei, et doctrinæ morum, ac factis dogmaticis, et sic Ecclesiam docere quid credere vel agere debeat. Est in re communis. (40. Hinc loqui ex cathedra non arctatur præcise ad ea, quæ Papa proponit ut a Deo revelata, et a nobis credenda fide theologica, uti quando aliquam doctrinam damnat ut hæreticam, vel definit esse de fide; sed insuper extenditur ad cætera, quæ proponit seu tenenda, seu servanda, uti quando aliquam doctrinam proscribit ut temerariam, scandalosam, et hujusmodi, seu declarat aliquem contractum, aut factum esse illicitum, et hujusmodi.

(41. His breviter notatis concluditur quod decreta, quæ edit Papa ex cathedra circa doctrinam fidei et morum, sunt infallibilia. Est de fide (178).

(42. Probatur prima pars conclusionis, scilicet quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam fidei; Christus enim promisit et dedit Papæ in persona Petri suam assistentiam, ne in definiendis rebus fidei erraret, ut patet ex illo *Lucæ* XXII, 41, ibi: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

(43. Nec valet dicere quod hic textus debeat intelligi de tota Ecclesia, et quod Dominus oraverit pro Petro, quatenus totius Ecclesiæ figuram gerebat. Non valet, inquam, quia hæc interpretatio, seu expositio omnino falsa est, cum ibi Dominus unam tantum personam designaverit dicens bis: *Simon, Simon*, et addens pluries pronomen secundæ personæ, *pro te, fides tua, et tu, fratres tuos*, quæ verba clare indicant fuisse a Christo Domino impetratum aliquid speciale Petro. Si enim de tota Ecclesia fuisset locutus, multo rectius dixisset *rogavi pro vobis*, quam *rogavi pro te*; tum quia Deus pro illo rogat, cui dicit, *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Hæc enim verba nequeunt toti Ecclesiæ convenire, quia ipsa non habet unde convertatur, cum nunquam defecerit, nec unquam sit defectura juxta infallibilem Christi promissionem *Matth.* XVI, 18, ibi: *Portæ inferi non prævalent adversus eam*. Nec Ecclesia habet fratres, quos debeat et possit confirmare, cum omnes fideles sint ejus filii.

(44. Nec etiam valet dicere quod auctoritas illa pertineat præcise ad personam solius Petri, non vero ad ejus successores Romanos Pontifices. Non valet, inquam, quia Petro mortuo, debuit jure divino, seu ex Christi institutione, alius pro regimine Ecclesiæ succedere; alias Christi promissiones, quibus promisit Ecclesiam suam usque ad finem mundi duraturam, *Matth.* XXVIII, 20, *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; *Joan.* XIV, 16, *et ego rogabo Patrem, et*

alium Paraclætum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum; essent prorsus inutiles, et sine effectu. Nam quomodo Ecclesia esset usque ad mundi finem duratura, si mortuo Petro, alius non esset caput visibile Ecclesiæ, qui eam in externo regimine gubernaret? Tum quia dum Christus *Joan.* XXI, 17, dixit Petro: *Pasce oves meas*, et *Matth.* XVI, 10, dixit eidem: *Et tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis*, ordinarium et perpetuum pastoris officium constituit. Hinc optime sciens Petrum duraturum, Petri nomine ejus etiam successores intellexit, in quibus perpetua esset ordinaria cura et potestas gubernandi et pascendi suas oves, modo per officium pastoris, quod ex maxima parte consistit in pabulo veræ doctrinæ spiritualis exhibendo, modo per aliam metaphoram ligandi et solvendi, seu clavium, tollendo scilicet impedimenta, quæ claudent ingressum regni cælorum.

(45. Propter quod Patres et concilia verba illa: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris, etc. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; Pasce oves meas*, declarant esse intelligenda, nedum de Petro, sed etiam de omnibus ejus successoribus Romanis Pontificibus; sic enim declarantur *Leo I*, relatus in cap. *Ita Dominus* 7, dist. 19; *Innocentius III*, relatus in cap. *Majores* 3, De baptismo, et varii alii antiquiores Pontifices et Patres, quos refert *cardin. Bellarmin.*, tom. II *Controv. de Romano Pontifice*, lib. IV, c. 3. Ita etiam declarantur concilia generalia, et signanter Chalcedonense act. 1, 2 et 16; Lateranense IV, can. 5, et aliis brevitas gratia omissis, clarissime concilium Florentinum in *Litteris unionis*, ibi: « Definiemus sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis apostolor. et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. »

(46. Probatur secunda pars conclusionis, scilicet quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam morum. Est de fide quod Ecclesia sit sancta, ut in Symbolo apostolorum vocatur; ergo et de fide est quod Papa docens ex cathedra errare non possit in tradenda doctrina morum, adeoque decreta ab ipso ex cathedra edita circa morum doctrinam sunt infallibilia. Si enim posset errare, approbando doctrinam falsam et malam, pro vera et bona; et reprobando

(178) Vide § 10 et seqq. artic. qui sequitur edit. R. atque integrum illum articulum consule.